

1757

P O L E M I C I

1758

erit, nisi dicas *Matthiam Parisiensem* se ipsum, ut Autorem a se diversum, citasse, quod vix probabile. *Codicem* porro in *Bohemia* scriptum testantur Membranae duae eum ambientes, quarum anterior continet Notitiam publicam *Census mediae Sexagenae grossorum denariorum Pragensium* venditi a *Wenceslao Waijgharth* Cive *Eylaviensi Nicolao* Plebano in *Gerczan*, Cujus testes *Jacobus anas Cuba* iudex — — *Frana Sutor. Joannes Mudry. Wencesl. Synek. Martin. Holecz. Johannes doleator.* Datum et actum in *Eylav*. Anno domini *Millesimo quadringentesimo XVI^o*. feria tertia post octavam epifaniae domini. Posteriori fidem facit *Nicol. Werkmeister* Iudex et *Nicol. Coblenz* Magister civium cum aliis Consulibus Civitatis *Zacen*. a *Nicolao de Strancz* certam *Grossorum Pragensium* Summam perfolutam esse *Bertoldo Kezlen*. Notae temporis abscissae fuere.

CCCCXLVII.

487 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 259. 4. manu difficili minute scriptus, foliis cum in medio, tum in fine mutilatus, multumque situ passus est *Concordantia IV. Evangelistarum*, cujus Prooemium incipit: *Lex seu doctrina evangelica perfectissima est per se sufficiens ad regimen ecclesiae militantis cui non licet quicquam addere vel subtrahere &c.* Ita totidem paene ver-

bis *Joh. Hussus* in *Scripto de Sufficientia legis Christi*, T. I. Opp. 1715. p. 55. *Lex Jesu Christi est sufficientissima, requisita ad regimen Ecclesiae militantis, cui non licet quicquam addere vel subtrahere.* Ut adeo ab hac Thesi Magistri Tractationem suam auspiciari voluisse videatur Discipulus aliquis, aut Tractatio ad ipsum *Hussum* referenda fit. Atque posterius istud aliquam inde veri similitudinem nanciscitur, quod, quamvis inter *Hussi* Opera nemo *Concordiae Evangelicae* meminerit, nostra tamen praesens cum *Ejus Historia Gestorum Christi et Passionis Christi ex 4. Evangelistis in unum collecta* P. II. Opp. p. 1. et 8. non parum conveniat, haecque duo Opuscula majoris Operis veluti Compendium haberi queant.

Codicem anno 1516. possedit Sacerdos *Bobemus* ille *Wenceslaus Rossa Cbrudimens.* cujus plura κτηματα jam haecenus retulimus.

CCCCXLVIII.

Codex chartaceus lat. boh. 668 Sec. XV. Folior. 189. 4. currente calamo, non una manu conscriptus *Sermones* continet in *Dominicarum Evangelia* et *Epistolae*, non observato temporis ordine, nec deductos semper, sed non raro συνοπτικως exhibitos. Ita Thema Sermonis I. *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Joh. XV.* mox sic digeritur: *Et sic sermo erit*

M m 3